

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

OVETENSIS

BEATIFICATIONIS seu DECLARATIONIS MARTYRII

SERVI DEI

Euphrasii a Iesu Infante Barredo Fernández

SACERDOTIS PROFESSI

ORDINIS CARMELITARUM DISCALCEATORUM

(1897-1934)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Ad Christum pertinere ardentem significat in corde caritatis flammam usque tenere, continuo fidei ubertate nutritam, non solum cum intimam secum affert laetitiam, sed etiam cum coniungitur difficultatibus, ariditate, dolore» (BENEDICTUS XVI, *Allocutio* ad Moderatores et Moderatrices Generales Institutorum Vitae Consecratae et Societatum Vitae Apostolicae: *L'Osservatore Romano*, diebus 22-23 mensis Maii anno 2006, p. 5).

Servus Dei Euphrasius a Iesu Infante vivam iugiter in corde eius caritatis flammam servavit per intimam cum Christo paupere, casto et oboedienti coniunctionem. Hoc modo, fide illuminatus et

caritate transformatus, fideliter suam vivere Domino consecrationem valuit usque ad Eum silentio sequendum in via crucis atque ad suam vitam pro Eo sacrificandam.

Hic fortis Christi testis die 8 mensis Februarii anno 1897 in oppido *Cancienes*, Archidioecesi in Ovetensi, a coniugibus est ortus Iosepho Barredo, publico custode, et Iosepha Fernández, qui christianis moribus eum instituerunt. Tres annos natus familiam in *Villa de Gijón* est secutus, et deinde in *Tornón*, ubi scholas frequentavit elementarias atque primam accepit Communionem. In *Mieres*, in Asturia, alumnus exstitit exemplaris Fratrum Scholarum Christianarum. Suam penitus duxit pietatis vitam et eucharisticam marianamque devotionem, atque consilium se Deo in Ordine Carmelitarum Discalceatorum consecrandi maturavit. Etenim anno 1912 studia iniit in eorum collegio in *Villafranca* Navarrae. Studiis humanisticis expletis, anno 1916 in novitiatum eiusdem Ordinis est ingressus. Professionem emisit simplicem anno 1916 et sollemnem anno 1922; die 23 mensis Septembris eiusdem anni Santanderiensi in urbe ordine presbyteratus est insignitus. Munus accepit docendi philosophiam et theologiam sui Ordinis alumnos. Anno 1926 professor in Poloniam est missus. In Hispaniam anno 1928 reversus, iterum alumnos docuit novae Provinciae religiosae Sancti Ioannis a Cruce atque eorum nominatus est magister et duorum commentariorum moderator.

Prior electus communitatis Ovetensis, officium suum mense Maio anni 1933 iniit. Omnibus voluit exemplar esse suis in muneribus adimplendis atque in virtutibus exercitandis. A confratribus aestimabatur atque a populo ob vitae sanctitatem zelumque quo apostolatum pro iuvenibus exercebat, aegrotis et pauperibus. Quaerebatur uti confessarius, praedicator et spiritalis moderator nec

non uti vir prudens, sapiens, humilis et austerus, mitis et misericors. Verus Dei homo, semper Domini gloriam quaesivit animarumque salutem. Suam cum Christo communionem suamque pastorem navitatem Dei verbi meditatione aluit, fervida Missae celebratione, Horarum Liturgia diversisque pietatis exercitationibus, per Regulae et consiliorum Evangelicorum observantiam, per discessionem a mundi vanitatibus nec non constans desiderium voluntatis Dei simplicitate et generositate in diversis vitae adiunctis implendae. Prioris exercuit munus amabiliter, paterne, cum caritate, ad bonum adhortans atque vitia corrigens suae religiosae communitatis, quae anno 1934 visitationem habuit canonicam Definitoris generalis qui deploravit Servi Dei indulgentiam. Tanta revera prudentia atque caritate vitam gerebat ut iam nunc sanctitatis fama frueretur, cui paulo post martyrii quoque fama est addita. Servus Dei, revera, ad supremum vocatus est testimonium fidei et caritatis per effusionem proprii sanguinis praebendum. Ita res verterunt.

Inter dies 5 et 12 mensis Octobris anno 1934 Hispania, violentis agitationibus politicis iam vexata, per furentem in Ecclesiam insectationem sanguine est respersa. Diversae sunt sacrae aedes deletae atque plus quam 30 sacerdotes et religiosi necati. Ad hoc testium agmen etiam pater Euphrasius a Iesu Infante pertinet, qui illo tempore prior erat communitatis Carmelitanae Ovetensis. Die 6 mensis Octobris, rationem habens de adventante periculo, Servus Dei conventuale capitulum protinus convocavit, quod solvere decrevit communitatem, ut unusquisque ad familias amicorum fugiens, a periculo se eriperet. Servus Dei murum transiliens hortus conventus, ex altitudine quattuor circiter metrorum delapsus est atque luxaturam ad latus dexterum subiit quin se levare posset. Statim in proximam domum exceptus est, deinde vero, ipsemet

rogans, in valetudinarium et quidem sub falso nomine. Sed veluti sacerdos est recognitus, quia scapulare induebat Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo. Tunc aperte veram suam identitatem est confessus. Paulo ante sectionem chirurgicam, nationis eversores attulerunt eum ut manuballista interficerent eum, tantummodo quia sacerdos erat Ecclesiae Catholicae. Contumelias et vexationes silentio accepit. Dum ad occisionis locum pervenit, nullum contrarietatis signum exhibuit. Se ad suos vertens carnifices, simpliciter dixit: «Veniam do vobis, filii mei», deinde ter exclamavit: «Vivat Christus Rex». Tunc in odium fidei est occisus.

Statim martyr habitus est et eiusmodi fama annorum decursu perrexit; quamobrem Archiepiscopus Ovetensis Causam inchoavit beatificationis seu declarationis martyrii Inquisitionem celebrans dioecesanam (annis 1992-1994), cuius iuridica validitas a Congregatione de Causis Sanctorum per decretum diei 16 mensis Decembris anno 1994 est recognita. Parata *Positione*, disceptatum est, ad normam, num Servi Dei mors verum fuerit martyrium. Positivo cum exitu, die 25 mensis Februarii anno 2005 habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 14 mensis Novembris huius anni 2006, Ponente Causa Exc.mo D.no Lino Fumagalli, Episcopo Sabinensi-Mandelensi, agnoverunt Patrem Euphrasium a Iesu Infante suam dedisse vitam ad suam fidelitatem erga Christum et Ecclesiam testificandam.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Benedictus XVI, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servi Dei Euphrasii a Iesu Infante Barredo Fernández, Sacerdotis professi Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 16 mensis Decembris A. D. 2006.

IOSEPHUS Card. SARAIVA MARTINS
IOSEPHUS Card. SARAIVA MARTINS
Praefectus

† Eduardus Nowak

† EDUARDUS NOWAK
Archiep. tit. Lunensis
a Secretis